



I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA
De
AGRICOLIS,

quam

Autoritate & consensu Magnifici ac Nobilissimi J. Ct.

Ordinis in Alma Leuceorea

PRÆSIDE

*VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
CONSULTISSIMO, ATQUE EXCELLENTISSIMO*

DN. VVERNERO THEO-
DORO MARTINI, J. U. D.

Serenissimi Electoris Saxonici in Superior. Apellat.
Judic. Consiliario splendidissimo, Curia Provincialis Consistorii
Ecclesiastici, Scabinatus & Facultatis Juridicæ, nec non Judicii
Ducalis, inferioris Lusatia Assessore Gravissimo ac
p. t. DECANO spectabili,

*Patrono, Doctore atque Promotore
suo æviternum de venerando,*

Publicæ Eruditorum Ventilationi proponet.

ad d. 16. Januar. An. MDC LXXXIII.

in AUDITORIO JURISCONSULTORUM

THOMAS GEORGI, Lucca Lusat.

Not. Publ. Caf.

AUTOR & RESPONDENS.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI FINGELII.

Handwritten text at the top of the page, appearing as bleed-through from the reverse side.

AGRI COLLS

Main body of handwritten text, including the name 'AGRI COLLS' and other illegible script.

Publick Bibliothek

THOMAS GEORGI, Buchbinder





PRÆFATIO.

SI quæ ars hominibus atque Rebuspublicis inservit, est
sanè Agricultura; Si qui subditi profunt, Agricolas pu-
to. Utrumque magnum Reipubl. inferunt commodum.
Ager nisi colatur, quid inde nisi inopia oritur ac fames?
Fame ac inopia, quid acerbius, quid miserabilius? Contabe-
scent his corpora hominum, pereunt homines. Laudo itaq;
culturam agri, quippe quâ homines conservantur & vivunt.
Nec minus laudibus evehò Agricolas deficientibus enim his,
ager non potest coli Agricole laboribus indefessis & sudore,
perpetuo panem præbent superfluum, conservant civitates &
pagos, oppida & arces; Nutriunt Reges & nobiles, nutriunt
se & suos. Audi differentem de his Salomonem: Agrum,
inquit, qui colit, panem habebit superfluum. Labet jam
de Agricolis quædam pro tenuitate ingenii differere, & im-
presentiarum quidem, quæ certa capita, Qualitates, Privi-
legia & Commoda eorum perlustrare.

Qui labor ut pariat magnos cum fœnore fructus,
Adspira cœptis, Christe benigne, meis.

CAPUT

CAPUT I
de
Origine & Qualitate
Agriculturarum

§. I.

Nullam conditionem atque statum statu atque
conditione Agriculturarum esse antiquiorem, ne-
mo facile negabit: In sacris enim Bibliis passim
legimus, quod primi homines mox post creationem à
DEO terram colere ordinati & iusti sint, *Genes. 2. & 3.*
quam postea posterius magno ardore & labore ara-
runt; in cuius probationem multa exempla, si opus &
sacra Scripturae in expertes adessent, adduci possent.

§. 2. Ethnici quidem hoc non crediderunt, sed
putaverunt, homines ante inventionem agriculturæ
glandes, radices, lac & pecudes, quemadmodum de Ger-
manis veteribus *Ful. Caf. de Bell. Gall. & Cor. Tacitus de
Mor. Germ.* tradunt, comedisse, & longe post creationem
mundi, cuius tamen incerti fuere, Deos nobilem artem
agriculturæ docuisse; quorum quidam hanc attribuerunt
Saturno; quidam & imprimis Itali, Jovi & Cereri de qui-
bus *Virgil.* ita canit

*Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit;*

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.

Egyptii Osyridi; Curetes. Regi Abi Juss. L. 44. cap. 4. & alii
aliis: quos tamen, quia de inventore non conveniunt,
una cum figmentis suis mittimus, certo scientes agricul-
turam à DEO Creatore omnium rerum primum ce-
pisse.

§. 3.

§. 3. Progredimur jam absque ulterioribus am-
bagibus, quia Onomatologia vocabuli Agricolaë est fa-
cilis, & per se clara, ad Pragmatologiam: Imprimis verò
est notandum, quòd hic sumatur generaliter, varias in-
se continens species, ut ex §. 7. & 8. patebit. Et definit
Agricolam *Peregrin. in Prel. in Lib. II. tit. 47. num. 3. C. de A-*
gric. Cens. hoc modo: *Agricola* est qui agrum colit: quibus
verbis non solum homines, qui agros proprios manibus
suis; sed etiam qui per alios: ut Principes per colonos
Principum *L. 1. C. de Agric. Et manc. dom. & domini præ-*
diorum per colonos privatos & rusticos colunt, intelli-
git: Nam quòd, quis per alium facit per se ipsum fecisse
putatur *C. potest. l. 9. de R. J. 6. c. 72. cod. arg. L. 1. §. 5. L. 4. ff.*
de acquir. l. am. poss. L. 11. ff. de injur. L. 169. ff. de R. J.

§. 4. Simulque addit, quòd differentia Agricola-
rum primum apud Romanos orta, & ob longitudinem
fundorum Domini; quia ipsi omnes agros propriis mani-
bus colere non poterant; prætereaque necessitas requi-
rebat, ut dominia manerent certa, servos adhibere co-
acti sint; qui vero postea successu temporum certa nomi-
na certosque agros colere acceperunt.

§. 5. Interim manebat studium agriculturæ no-
menque Agricolaë tam honestum; ut labores & nomen
Reges & nobiles simul appeterent. Legati populi Roma-
ni *Attilium Calatinum*, ut imperium susciperet, manu
sua semen spargentem convenerunt *Plin. L. 2. c. 3. Valer.*
Max. L. 4. c. 4. *Cyrus Minor Rex Persarum* magnam so-
lertiam & diligentiam adhibuit in agris colendis *Cic. in*
Caton. Maj. L. Quintius Dictator triumphalis Agricola
redit ad boves, postquam victos more pecudum sub-
jugum misit, *Flor. L. 1. c. 11.* *Diocletianus Imperator* stu-
duit agriculturæ decem annos *Schleidan. in vit. Diocl. Pia-*
stus

stus Dux Poloniae fuit anno Christi 806. rusticus, *Chronol. Alsted. de Regn. Polon.* Primislaus Bohemiae Dux fuit. Agricola *Klock. L. 2. c. 1. in tr. de Arar.*

§. 6. Præterea erat apud Romanos hoc nomen tam pium & sanctum, ut cum virum bonum, qui *arg. L. 25. §. 6. ff. de Edil. Edict.* à mala conversatione exemptus esse debet; describere vellent; uterentur vocabulis est bonus Agricola, bonusque colonus *Cat. L. 1. de Rust. & Cic. & Orat. pro Deiot.* est bonus paterfamilias, diligentissimusque Agricola.

§. 7. Cæterum ne species oblivisci videamur, lubet eas huic §. inferere; & vocabantur quidam Agricoliarum, *Coloni L. 2. 6. 18. C. de Agric. Cens.* quidam *Coloni originales* alias *centisati L. 4.* quidam *coloni originarii L. 7. 11. eod. L. 1. C. de agric. & mancip. dom. fisc. Rustici L. 5. L. 7. C. de Agric. Cens. Adscriptitii, Inquilini L. 6. 18. Servicentisati L. 7. Servi tributarii L. 12. eod.* quorum etiam *Peretz. in Pral. in Lib. 11. tit. 47. de Agric. Cens. & Schneiderr. in Comment. f. ad tit. Locat. & Cond. §. præterea, meminere:* deque quibus ille dicit, quod omnes fere unius ejusdemque fuerint conditionis; & discrimen saltem observatum in nomine origine & modo constituendi.

§. 8. *Brunnemann. in Comment. ad Cod. Lib. 11. l. 2. num. 1. de Agric. Cens. & VVesemb. in Oecon. fur. ad eund. tit.* consentiunt & separant colonos & inquilinos à centisatis & adscriptitiis eodem fere modo; nempe quod illi sint liberi, hi vero servi. Porro subdivingebant in Colonos *Palestinos, Thracenses, Illyricos* de quibus *tit. 50. 51. 52. Lib. 11. C. agunt,* nomenque suum mutuati sunt à provinciis quas incoluere, & à quibus privilegia quædam accepere. Omnium tamen conditio erat miserabilis; Nam neque possessionem transferre *l. fin. C. de acquir. l.*

amitt.

mitt. possess. neque sine terra vendi, neque vendito præ-
dio retineri, neque permutari, neque puncto quidem
temporis separari poterant *L. 7. L. 15. C. de Agric. Cens.*

§. 9. Hodiernum statum quod attinet, est ille,
servitute sublatâ longe melior; & pauci in Germania
nostra, (exceptis quibusdam Provinciis, ubi aliud con-
suetudine & statutis provincialibus, quippe quæ pro le-
gibus *l. 23. 32. §. 1. 37. ff. de LL. & Carpz. in Decis. Illustr. Sax.
decis. 60. num. 2.* habentur, introductum) agris perpetuo
adhærere & operam impendere coguntur.

§. 10. Quemadmodum verò olim Agricola non
erant unius generis; ita etiam sunt nec hodie: Nam
quidam colunt alienos, quidam proprios agros; Pro-
prios colunt, quando Domini & possessores ipsi mani-
bus suis arant, occant, metunt, fructus colligunt & o-
mnia, quæ utilitati suæ inserviunt peragunt *l. 8. §. 5. ff. si
serv. vind. l. 24. §. ult. l. 26. ff. de damn. inf. l. 1. §. 12. l. 21. ff. de
aqv. plu. arc. inque iis jura sua libere exercent l. 21. C.
mand. l. 9. C. de jud. & Cæl. l. 9. ff. de act. rer. amot. L. 8. ff. de
in lit. jur. l. ult. ff. de annon. l. ult. C. de pact.*

§. 11. Alienos colunt 1. Operarii seu mercenarii,
quos Domini fundi certa mercede vulgo *Liedlohn* con-
ducunt; qui tamen, etsi operas & servitia rustica per-
agunt, non fiunt servi, sed manent liberi *VVesenbec. in
Oecon. ad lib. I. Instit. tit. de Jur. Pers.* neque in perpetuum
se obligare possunt, quia talis obligatio naturam servi-
tutis sapit & per se invalida *Schneideyb. in Comment. ad Inst.
tit. de jur. pers. §. fin. & Carpz. l. 1. Resp. 52. n. 2.*

§. 12. Alienis 2. insudant agris rustici, qui ob agros
à Domino traditos, ad rem tamen familiarem & eqvos
vel boves aratorios *Zug-Vieh Pferde oder Ochsen* alen-
dum satis sunt, operis servitiisque mit *Pflug- und Wa-*
gen-

gendiensten/ vel ex subjectione, vel ex conventione, vel
ex prescriptione Dominorum agros colunt: vocan-
turque Anspanner/ Pferdner/ Hüffner; de quibus *Ol-
denburg. Limn. aus enuel. c. 30. num. 12. Struv. Exerc. 3. L. 1. t. 5.
§. 27. de Stat. hom. Georg. Mundius in tract. de Mun. & Hon.
c. 7. n. 52. Klock. in tract. de Contrib. c. 2. num. 52.* quorum
alii præstant servitia certa vel determinata *gesichte Dien-
ste/ gemessene Frohnen/ Exod. 5. num. 18. l. 24. ff. de oper.
libert.* alii indeterminata vel incerta *ungemessene all-
tägliche Dienste und Frohnen/ Gail. l. 2. obs. 63. numer. 12.
Observ. pract. & nonnullis in locis Germaniæ pro fere
propriis & manu mortalibus habentur Peretz. in Præh. in
l. ii. tit. 47. n. 31. C. de Agric. Cens.*

§. 13. Similes quoque inveniuntur in Lusacia In-
feriori & sunt cum liberis suis territorio Domini adeo
addicti & adscripti, ut absque ejus consensu non valeant
domicilium & colonias mutare neque alio se transferre,
neque ad dignitatem, quamdiu in servili conditione per-
manent, admitti: *Woferne sie von ihrer Herrschafft der
Leibeigenschafft nicht ledig und befreyet/ Gail. c. 8. n. 19.
in tr. de Arrest. imper. it. c. 14. num. 12. eod. Domini sequun-
tur Jus Civile Constitutionibus provincialibus renova-
tum, & possunt hinc inde vagantes ut adscriptitios l. un.
lib. 11. C. de Col. Palest. persequi & capere: Fugitivum au-
tem sine testimonio remissionis recipiens tenetur ad in-
teresse, & domino omnia damna, nisi poenam incurre-
re velit, quæ absentia coloni perpeffus est, restituere co-
gitur. l. 8. C. de Agric. Cens. Brunnenmann. in Comm. ad eand.
leg. & ad l. 12. eod. t. it. ad l. un. numer. 2. C. lib. 11. de Col.
Palest.*

§. 14. Interdum servitia pactis inter Dominum
& subditos conditis, tolluntur, & certa pensione annua
per-

perpetuo sedimuntur & moderantur, præstatioqve pecuniae pro servitiis longissimo tempore præscribitur; nec servitia à Domino possunt reposci, nec certæ operæ in similes converti: Naturæ enim æquum, ut pacta conventa serventur *l. 1. l. 7. § 7. ff. de pact. l. 1. § 6. ff. de pos. l. 1. ff. de const. pec. l. 84. in fin. ff. de R. J. idem & approbavit D. E. lect. August. Const. Saxon. p. 2. c. 4. Daß sie bey dem Dienstgeld und præscribirten Gerechtigkeit/ wo sonst keine andere Verträge vorhanden bleiben und gelassen werden/ quam etiam J. Cui à Klock. in tr. de Contrib. c. 2. n. 74. 75. allegati cum Dn. Carpzov. l. 1. respons. 52. in pronunciando secuti.*

§. 15. Quam miserum autem hoc genus hominum ratione conditionis; tam perversum & effrene est ratione servitiõrum: Nam nihil absqve minis & severitate Dominorum juxta tritum illud, wo der Bauer nicht muß/ rührt er weder Hand noch Fuß/ efficiunt: non sunt simplices, ut quondam, sed, ut olim servi, versuti, astuti, sagaces, arrogantes, stolidi, duri, inhumani, sævi, asperi & penè barbari; breviter ut me expediam nulla malicia est supra malitiam rusticorum, testant; *Klock. in tract. de Contrib. c. 2. num. 58. 59. Tiragv. tom. 1. c. 2. num. 57. c. 23. num. 8. de Nobilit. Mund. de Muner. mixt. omn. gen. c. 4. num. 49. quod & confirmant noni versiculi:*

*Rustica gens est optima flens sed pessima ridens
Ungentem pungit, pungentem rusticus ungit.*

§. 16. Alienos 3. colunt: qui totum agrum vel certa pensione & nummis *l. 26. § 1. ff. de furt. l. 25. § 6. ff. Locat. Cond. ad certum tempus & ad propriam utilitatem per modum arrendæ conducunt & fructus omnes suos faciunt. Anton. Fab. in Cod. l. 4. tit. 41. definit. 22. de Locat. Peretz. in Prælect. ad lib. 11. tit. de Agric. Cens. n. 29. Vel hoc*

B. *Abusus in omni-*

modo colunt, ut justo tempore aere occent, & alias opo-
ras necessarias efficiant, pro quibus conceditur vel dimi-
dia, vel tertia vel quarta pars fructuum, prout contra-
ctum, dicunturque *paritarii*. Partiantur vero propor-
tione quasi societatis jure lucra & damna dict. l. 25. §. 8.
l. 5. §. 1. l. 29. §. 1. ff. pro socio. Vel colunt ita, ut quotannis
locatori certam mercedem in frumento vulgo *Nachtge-
dreyde* cujuscunqve generis præsent: Hæ conductiones
vero non valent, nisi interveniant publica aut privata
instrumenta *Vinn. in Com. ad Instit. l. 3. tit. de loc. & cond. in
princ. n. 3.*

§. 19. Vidimus hactenus Agricolas varios, sed quia
plerique fuere miserae conditionis, non injuste quæri-
tur; An Nobiles & aliæ personæ in dignitate constitutæ
salva nobilitate & honoribus propriis fundos suos colere valeant? Quod affir. Nobilitati quidem de-
rogant artes sordidæ, ut sunt cuncta exercitia mercena-
ria; & quæ agricolæ nempe adscriptitii, qui ab omnibus
honoribus summōventur, l. 19. C. de Agric. Conf. l. 3. lib. 12.
C. qui mil. poss. exercent. Deinde per derogant nobili-
tati artes viles, ut sunt mechanicæ & mercatura l. 15. lib.
12. C. de re mil. l. 3. C. de commerc. nisi consuetudo aliud
introduxerit *Traq. c. 33. num. 20. Brunnemann. incomm. ad
lib. 1. tit. 2. l. 9. num. 7. Klock. de contrib. c. 12. num. 258. Mand.
de Mater. Muner. & Oner. c. 6. num. 32. Carpzov. lib. 1. tit. 4.
Resp. 37. num. 3.* Verum enim verò quod agricultura per
se non sit sordida; & Nobiles salva existimatione Agri-
colæ, si simpliciter consideremus, esse possunt monstret
*Cic. lib. 1. offic. Nihil, in quibus aliquid acquiritur est
melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.*
Corpora non enervat, sed talia facit ut sub dio consistere
& laborem tolerare valeant, & adversus hostes pericu-

la.

ia capessere; quod in § 5. & Traquet. de Nobil. allegata exempla satis probant: Præterea possunt non lucri causa, sed ut rebus afflictis consulant, & victui necessaria comparant alienos conducere & colere. Peretz. in Pral. in l. 12. C. de dignit. num. 75. Anton. Faber. in C. l. 9. tit. 23. def. 3. de dignit.

CAPUT II.

de

Privilegiis Agricolarum.

§. 1. Ordo jam, qualitatibus Agricolarum perspectis, suadet, ut nos ad eorum privilegia, quibus non solum personæ sed etiam instrumenta ad agriculturam necessaria ab Imperatoribus & Principibus sunt donata, convertamus. Imperatores *Constantinus l. 1. lib. 11. C. de Agric. Cens. l. 7. C. quæ res pig. obl. Honorius, Theodosius l. 15. Justinianus l. 20. C. de Agric.* unanimiter jubent Agricolas tempore mesis, quo etiam teste *Peretzio in Pral. in cod. tit. de Feris num. 4.* quidam tempora seminationis referunt, ad nulla extraordinaria opera trahere; Opera autem extraordinaria sunt, quando agricolæ adiguntur præstare servitia extra domicilium & agrum: item quando tempore mesis ligna aut aliam materiam ædificiis dominorum convehere coguntur, & similia, de quibus legi potest *Brunnemann. in comm. ad lib. 11. tit. de rustic. l. 1. num. 1.* Fundamentum harum legum consistit in eo, ne publica utilitas lædatur & agrorum cultura impediatur: Et quia hæc maxima ex parte consistit in opportuno tempore & opéra rusticorum, sine quibus tamen loquente *Aristotele l. 4. § 7. c. 8. Polit.* Respubl. stare non potest,

B 2

potest, sed nervis quasi est destituta; ideoque eo diligentius admonere omnes & singulos, opportunum tempus attendere, & agricolas ad nulla alia opera trahere; Nam, neglecto tempore messis & sationis, omnis postea luditur opera, omnes perduntur sumptus, & loco annonæ existit caritas: Et harum legum autoritate non solum gaudent rustici; sed etiam omnes tam nobiles quam ignobiles rus inhabitantes, uti *ex l. 1. ff. de feriis & l. 2. Cod. eod. liquet.*

§. 2. His legibus tam bene fundatis opponunt se interdum tamen mali homines, & imprimis invafores; qui contra omnem æquitatem & jura agricolas invadunt, vim inferunt, & labores instrumenta rustica vel furantes vel frangentes impediunt. Quemadmodum autem Imperatori & bono Principi nihil magis congruit, quam curare, ut omnia sint pacata & quieta in provincia quam regit *l. 13. ff. de offic. Præs.* Ita etiam nihil magis curarunt, quam ut Agricola in tranquillitate & securitate conservarentur: Hinc inde sunt variae constitutiones conscriptæ, & imprimis *Friderici II. Imperatoris*, in qua Agricolas, ut injuria ab iis removeatur, acerrime defendit, notatu digna, & *in fin. lib. 5. feud. tit. 17. de statut. & consuetud. contra libertatem Eccles.* §. 11. legitur sequentibus verbis. *Agricultores & circa rusticitatem occupari, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint, quancunque parte terrarum: ita ut nullus inveniat tam audax, qui personas vel boves, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit, quod ad operam rusticalem pertinet, invadere, capere aut violenter auferre presumat. Si quis autem hujusmodi statutum ausu temerario violare presumpserit in quadruplum ablata restituat, infamiam ipso jure incurrat imperiali ammadversione nihilominus puniendus. Et Avibent. Agricultores*

ver C. quires pign. obli. Jure Saxonico werden solche Uebel-
thäter aufs Stad gelegt / Landrecht *lib. 2. art. 13* Indis, Co-
rinthiis, Megarensibus, Cyro Regi Assyriorum, Bellifa-
rio tales constitutiones præscribere non erat necesse.
Nam referente *Hugone Grotio l. 3. c. 11. num. 11. de Jur. Bell.*
& *Pac.* non solum tempore belli Agricolis pepercerunt
sed & de securitate & conservatione maxime fuerunt
soliciti; adeo ut uti in *cap. 12. num. 4.* loquitur, essent
intacti velut sacrosancti; imo propè castra & agmina,
quod laudandum, opus faciebant sepositi à periculo.

§ 3. In judiciis forensibus favor agricolarum
elucescit non minor. Nam in *Novell. 8. c. 2.* iudicibus ex-
presse jubetur res eorum serio agere & actiones scrupulose
& ne diu differantur & agricultura impediatur, intendere
ut velociter iis difficultatibus eripiantur & testinialiter
remittantur. Summarie res tractare jubetur; & ordi-
narii Processus, uti *Carpx. l. 6. tit. 10. Resp. 122.* & *Brunner.*
ad l. 15. num. 5. C. de Agric. Cus. statuunt, iis interdicens
quia multum temporis, multasque expensas requirunt,
ab agricultura vero, ex qua unice omnium rerum uber-
tas fluit, avocantur & quia plerique non modo homi-
num, sed & vivaces cervorum & cornicularum ætates
superant. *Petr. Frider. lib. 2. de Mandat. Judi.* Si vero sum-
marie res expediri & finire non possit, licitum sit or-
dinarie procedere, & si communio, per constitutos Syn-
dicos, persequi.

§ 4. In condendis testamentis iis remittitur stri-
cta Juris observatio. Ubi enim alias septem requiruntur
testes *l. 12. C. de testam. §. 3. Instit. eod. l. 2. C. sec. tabul. l. 3. ff.*
unde liberi; ibi in agris si plures haberi non possint, suf-
ficiunt quinque. Si duo saltem literati licet pro igno-
rantibus literas præsentibus tamen subscribere *l. 31. C. de*

testam. quia in agris multa est simplicitas neque testium
aut scribentium multorum copia *Nov. 73. c. 9. & Constitut.*
Leon. 43. Anton. Faber. in Codic. de testament. definit. 26.
num. 1.

§. 5. Porro propter simplicitatem & rusticitatem
aliquando iis ignoscitur & à legibus quasi privilegiati
defenduntur: Poenam ordinariam, quam alii peritiores
propter ignorantiam juris aut aliquid factum incurrunt
declinant & excusantur. Si quis per simplicitatem &
rusticitatem aperiat testamentum Domini occisi *l. 3. §. 22.*
ff. ad SC. Silan. non ei erit fraudi: Nec signarus juris fisco
se deferat *l. 2. in fin. ff. Si quis in jus voc.* Si quis Album
Prætoris corrumpat *l. 7. §. 4. ff. Si quis in jus voc. excusatur.*
Non omnis autem ut simulata, sed vera excusat simplici-
tas, quæ dolo caret & ipsis damnosa est *l. 1. ff. de dol. mat.*
Hæc *l. 7. §. 4. ff. de juris dict. l. 2. §. ult. ff. si quis in jus vocat.*
Nov. 154. c. 1. simplicibus patrocinator; hæc excusat; im-
primis cum facultatem peritiores consulendi non ha-
bent: Si vero habent ignorantia non absolvit *l. 9. §. 3. ff. de*
jur. & fact. ignor. Brunne mann. in Comment. ad Cod. tit. de
jur. & fact. ignor. l. 1. num. 13. Ob quietam & innocentem
rusticitatem verò *l. 3. C. de defens. Civ.* iis dantur Defenso-
res civitatis, qui eos ab injuriis potentiorum defendunt
Menoch. de A. Q. cas. 194. num. 73. Prædictis legibus autem
non gaudent Agricola periti & rustici quadrati, quia
non sunt simplices, sed ob calliditatem non agros colere,
sed studiis operam dare videntur *Barbos. l. 10. c. 10.* Neque
simplices, qui aliquid ex supina ignorantia intermittunt
l. 6. ff. de jur. & fact. ignor. Neque qui contra jus natu-
rale *l. 2. C. de in jus voc.* vagas & incestuosas libidines, adulte-
rium, stuprum, incestus committunt Neque qui contra
jus notorium faciunt *Menoch. a. arbit. jur. cas. 194. num. 16.*
Neque.

Neque qui clandestine aliquid faciunt *l. 4. C. de incest. nupt.*
l. 1. C. de interd. matr. Neque qui contra rigorem & so-
lennitatem alicujus actus agunt, *ult. C. de testam. l. 6. C. qui*
admitti ad bon. poss.

§. 6. Operariis & mercenariis nec desunt privile-
gia; quod concernit eorum mercedē, ipsis ea non est de-
neganda nec differenda, uti summus Legislator & Salva-
tor Mundi. *Matth. 10. v. 10. Luc. 10. v. 7. Deuter. 24. vers. 14.*
Et Lev. 19. v. 13. mandant, & ne quidem ad manē. Quae
praecepta omnes pii Principes magnum laborem con-
templati repetiverunt, & eorum mercedem reliquis cre-
ditoribus hypothecariis anterioribus praeulerunt, do-
cente *Carpzov. in Decis. illustr. Saxon. decis. 55. numer. 14.*
Besold. in thesaur. pract. Viedlohn. Jure Civili olim prae-
fererantur mercedi famulorum impense funerariae; Ju-
re Saxonico vero haec sequuntur illam: *Coler. decis. 200. n. 6.*
Et licet hac in re consuetudo & jura introducta sint at-
tendenda, neque ab iis in pronunciando decedendum;
attamen hoc est certissimum, quod operarii ratione mer-
cedis aliis creditoribus praeferantur, & in concursu cre-
ditorum inter potiores & priores creditores numeren-
tur, & non injuste, quia familiam laboribus suis conser-
vant; indeque absque strepitu forensi summariter eam
exigere permittitur *Col. dec. 69. n. 3.*

§. 7. Conductoribus & pensionariis contra lo-
catores actionem conducti, si agro frui denegetur, in-
struere non solum permittitur sed & saluberrime provi-
sum. Accidit enim aliquando, ut pensionarius ratione
contractus ante traditionem possessionis certam pecu-
niam solvat, nec tamen eam consequatur: Ne itaque
pensionarius laedatur, & contra promissa peccetur, sva-
det *Ulpianus in l. 15. §. 1. ff. loc. conduct.* Conductor contra

Loca-

Locatorem actionem instituire, cuius vi conductori
promissa & presertim frui prestare tenetur. Quia et-
iam Conductor variæ calamitates absqve sua culpa eve-
nire possunt, etiam hac in re, ne operam & impensas
perdant, in § 2. d. l. succurritur, & remissio pensionis
datur. Calamitates enim sunt variæ, quædam accidunt
vi divinâ seu majori; quædam humanâ, quibus tamen
non potest resisti. Vi divina sunt chasma vel vis flumi-
nis, terræ motus, Grando, Uredo, labes, (*quæ soli fragore
& plerumqve vi ventorum aut pluviarum incurfu aut alio ca-
su superiori fit l. 62. ff. loc. cond. & Gothofr. ad b. l.*) agmina
aliâs insolita graculorum, Sturnorum, passerum, mu-
rium, locustarum, vermium d. §. & l. 18. C. & l. 15. ff. de
Locat. Cond. Vi humana est incurfus hostium, qui labo-
rare non sinunt d. §. 2. & Schneidew. in Comment. ad tit. de
A&T. ex Cond. Hæ calamitates non omnibus conductoribus
sed simplicibus pensionariis, puta, qui nummis colunt,
profunt; & saltem ob magnam sterilitatem, quæ merito,
quia Doctores de ea teste Galio lib. 2. observ. 23. numer. 1.
contrarias cogitationes fovent, opinioni & taxationi
circumlocantium est relinquenda, dant remissionem
l. 25. §. 6. ff. Loc. Cond. l. 8. C. eod. Si vero pensionarius prom-
iserit omnia damna ferre leges non juvant, sed contra
illum agunt. E contra cum conductor justo tempore
pensionem præstat, à locatore minime est expellendus;
siquidem circa locationem & conductionem, nisi quid
contra consuetudinem regionis expressum, fides contra-
ctûs servanda l. 19. C. de loc. cond.

§. 8. Instrumentorum supra mentio est facta; &
quia ea scire necesse, lubet quædam ex l. 4. l. 8. l. 12. §. 10. ff.
de instr. & instr. leg. enumerare. Et sunt præcipua homi-
nes, qui agrum colunt, villici, monitores, pecora ster-
coran-

corandi causa parata, boves, equi aratorii, greges pecorum, aratra, falces messoriae, plaustra, occae, rallae, vomeres, iuga, & similia; sine quibus tamen nullus agrum colere potest; Et quia haec à malis aliquando auferuntur & franguntur; ideoque contra omnem vim & injuriam quaedam leges promulgandae erant. Apud Romanos quidem tales homines erant servi & adeo contempti, ut pro nullis haberentur: Leviter percussi aut maledicti habebant nullam actionem *L. 15. §. 44. ff. de injur.* sed omnis injuria erat perferenda. Si vero ad contumeliam Domini injuriâ afficerentur, concedebatur quidem Domino actio injuriarum, servis vero non *§. 35. d. l.* Feliciores sunt hodierni servi & operarii, qui sempermanent liberi, neque ipsis actio injuriarum denegata; offensis in contumeliam dominorum dum eorum negotia peragunt, tam Dominis, quam servis injuriarum, agere licent. Jure Saxonico injuriantes emendandam tam domino quam famulo praestare tenentur. *Sneiderr: in Comment: ad Instir. de Injur. §. quod si usus fr. Vinn. Peretz. ad eund. tit.*

§. 9. Neque pecudes sunt violandae, quia & eis agricola carere nequit: Sub nomine autem pecudum veniunt omnia animalia, quae gregatim pascuntur *L. 65. §. 4. ff. de Leg. 3.* ut sunt oves, muli, equi, boves, fues; Qui tales à pascuis aut stabulis abducunt & subtrahunt acriter puniuntur, & ad gladium maxime cum ferro usi sunt *L. 2. & L. 1. ff. de abig. damnantur, vocanturque abgei, quia studium abigendi quasi artem exercent; Hodie puniuntur perinde ut fures Struv. in Exerc. 48. Lib. 47. tit. 14. §. 26.* Quod si quis alterius pecudes occiderit contra negantem in duplum agitur *L. 4. C. de Leg. Aquil. L. 2. §. 1. ff. eod.* Apud Phrygas, Cyprios, Atticos & Romanos bo-

quem occidere nefas erat, *Grot. de J. B. & P. c. 12. Lib. 3. n. 4.*
Quod si quis alienas pecudes in agro damnum facientes,
inveniat, licet quidem jure Civili expellere & contra
Dominum agere, sed non includere *L. 39. §. 1. ff. ad L. A.*
quil. Jus Saxonicum & consuetudines receptæ aliud do-
cent: Nam non solum licet eas includere, sed etiam retine-
re, donec Dominus satis faciat. *Land R. Lib. 2. art. 47.*
Wenn das Vieh Schaden thut und wird gepfändet/
den Schaden soll sein Herr gelten / ob man den Schä-
den zur Hand beweist nach dem ihn die Bauern schätzen
Strub. Exerc. 14. ad lib. 9. tit. 1. §. 4. Si quadrup. pauper.
fec. ita tamen ne fame enecentur sed pascantur, pro pa-
stu autem restituantur impensæ à Domino, alias tenetur
ex Lege Aquilia damnum resarcire *l. 9. §. 2. l. 27. §. 7. ff. ad*
l. Aquil. §. 16. Instit. eod. l. 2. §. 20. in fin. ff. vi bon. & jure
Saxonico per textum Land R. Lib. 3. art. 48. VVergeldum
solvere aut animal ejusdem bonitatis præstare Land R.
Lib. 3. art. 47. circ. fin. Animalia quæ non possunt pigno-
ri capi canibus abigantur, & ea usque ad domum domi-
ni quisque persequatur. *Land R. d. art. 47.* Ist aber
das Vieh also gethan / daß man es nicht pfänden mag
oder eintreiben als Pferde / die wilde seyn oder scheu
oder Gänse oder Schweine / so lade der dem der Schade
geschicht / darzu zwene Männer / und folge dem Vieh
nach in seines Herrn Hauß / und beschuldige ihn dar-
umb / so muß er ihm den Schaden bessern für das Vieh /
als ob es gepfändet wäre / non ostante licet à canibus
vulnerentur aut interficiantur. *Schneiderus. in Comment.*
de l. Aquil. §. fin. n. 5. Brunne mann. ad Cod. tit. cod. l. 5. Coler.
Decis. 136. n. 30. Neque boves, equi & cætera instrumenta,
ne agricolæ agros deserere cogantur, pignoris jure non
sunt capienda *l. 8. C. que res pign. Anton. Fab. ad. Cod. lib. 8.*
tit.

tit. 6. de fin. 16. Peretz. in Pral. in lib. 11. tit. Ut rustic. ad ultum
obseq. n. 2. Klock. in tract. de Contribut. c. 18. n. 42. Mund. de
form. Oner. & Mun. c. 7. n. 99. Hug. Grot. de Jur. B. & P. l. 3.
c. 12. n. 4.

§. 10. Restant instrumenta viliora, nempe ara-
trum, falces messoriæ, plaustra, occæ, rallæ, vomeres,
juga & similia: & quia neque his agricolæ sine damno
agriculturæ carere possunt; ideoque jure civili ea pigno-
ri capere, auferre vel furari prohibitum: Contra fures a-
ratorum autem imprimis agit Land R. L. 2. art. 3. &
arbitrarie multat, carcere aut relegatione puniuntur. Ex
legibus Georg. Justinian. tit. de furt. teste Heigio quest. 30. n.
7. furantes aratrum, vel vomerem vel juga in pholas
duodecim puniuntur, pro numero dierum ex quo fur-
tum actum. Si vero spoliatores instrumenta fregerint
non tenentur furti, sed ex lege Aquilia id. n. 10. Si tot
ferra aratorum detraxerint quorum æstimatio excedit
quinque solidos instar furum ad furcas condemnantur.
Si vero ad tantam quantitatem non ascenderit precium,
& saltem aratra violaverint, castigentur, quæ & Lipsi-
enses probasse affirmat Coler. Dec. 148. n. 2. In Constit. Elect.
Saxon. 36. part. 4. tit. Strass des/so den Pflug bestillt u.
est constituta poena arbitraria: Quod jam de uno atque
altero dictum, id de omnibus intelligendum, & juste
violatores & fures juxta prædicta puniuntur.

§. II. Nemo regulariter pecudes suas in alienos
agros L. 39. ff. ad L. Aquil. nisi servitutem habeat, agere
& pascere debet: quia possessio turbatur, & dominus,
qui agrorum suorum moderator optimus L. 24. ff. de in-
jur. L. 8. Si serv. vind. injuriâ afficitur. Qui vero con-
trarium facit, habet contra se stantem L. ult. C. de L.
Aquil. In ea enim Domino contra in agrum alterius pe-

eadem suas immittentem actio Legis Aquilæ utilis insti-
tute permittitur & de damno dato tenetur : quam le-
gem etiam confirmat hodie *Pand. lib. 2. art. 47.* & le-
gem contemptores in multam condemnat, verba so-
nantia: *Wer sein Vieh treibet in eines andern Feld/
wird er gepfändet / er giebet sechs Pfennig (drey Schil-
ling) zur Busse.* Non autem intelliguntur nummi sim-
plices, quorum duodecim constituunt grossum Misni-
cum; sed Saxonici, qui vocantur solidi: & quorum u-
nus continet duodecim nummos antiquos & sedecim
novos hodiernos *Coler. Decis. 144. n. 14.* Domino vero,
pecudibus sine ullâ culpâ Domini alterius agros ingredi-
entibus & fruges depascentibus, hæ leges non obstant;
sed speciali actione de pastu convenitur, & damnum
datum restituit *L. 14. §. ult. ff. de præsc. verb. de quo & su-
pra §. 9. actum.*

§. 12. Pecudes culpâ in alterius fundum agere
turpe & malum erat factum & non injuste in delinquen-
tes poena statuebatur. Verùm multo pejus imo & pes-
simum est terminorum motio *L. 2. ff. de term. mot.* Scien-
ter enim terminos movere, nonne idem quod furtum
facere? Furto offenduntur homines; hoc quoque illo
offenditur una atque altera persona; hoc plures si scien-
ter fiat, nempe omnes posteri possessores: Fures fu-
rantur mobilia; terminos moventes immobilia. Ex
hac causâ legislatores utriusque ferè parem poenam & qui-
dem duram dictarunt. Splendidiores personæ terminos
moventes & convictæ vel in tempus relegantur, vel
pecuniaria poena *L. 3. eod.* plectebantur: Humiliores &
aliorum negotia gerentes castigabantur: fortuito verò
moventes verberibus decidebantur *L. 2. eod.* Termini
variis signis notantur; suntque vel lapides, vel arbores
fru-

fructiferae, vel steriles ut falices, vel sulci; qui hodie usi-
tatis sumi, & his plerumque ager vicinus à vicino distin-
guitur. Quicumque itaque tales fines scienter movet vel
mutat, poenam incurrit, und muß nach dem Land R. zur
Busse geben 30. Schilling. *Col. Dec. 145. n. 3.* Qui verò
ignoranter arando vel fodiendo subvertit trium solido-
rum poenam sustinet & æstimationem damni solvit
Land R. *Lib. 2. art. 28.*

§. 13. Nec minori poena sunt digni qui agricolis
segetes à solo separatas auferunt: Nam secundum
Land R. *L. c. 28. §.* Wer des Nachts u. sunt noctu segetes
& fructus furantes suspendendi, diu verò sustigandi.
Quæ poena tamen quia, nullâ qualitate observata, ni-
mis dura mitigata est, & hodie sequenti fere modo puni-
untur: Infra tres Ungaricos cum valor est rei furtivæ:
poena est arbitraria; cum tres superat, sustigantur; cum
quinque excedit ad furcas fures ligantur *Coler. Decis. 144.*
Denique Agricolis inferitur sæpe damnum à venatoribus;
qui equitando & venando segetes proterunt & concul-
cant; Ne vero hac in re agricolæ deserantur & injuriam
patiantur, præscripsit Land R. *L. 2. art. 61.* venatoribus
certum tempus, quò à venatione per agros abstinere de-
bent. Wann das Korn Geschost und Glied bekom-
men/soll niemand in die Saat treten durch jagen oder
hegen willen: Aliàs tenentur injuriarum ut alii offenso-
res *L. 16. ff. de Servit. præd. rust. L. 3. ff. de acquir. rer. dom. &*
puniuntur poena arbitraria.

§. 14. Commodum ejus esse debet, cujus est pericu-
lum & incommodum *L. fin. §. 3. C. de furt.* Agricolæ ante
incommoda, quàm unicum sentiant commodum, fe-
runt mille: Quam variis laboribus sint subjecti docet ex-
perientia: quam multos adversarios habeant, vidimus

supra. Quis jam vellet, rebus sic stantibus agricolis denegare commoda & fructus. Siquidem non fluunt ex dolo malo, sed asfiduis laboribus & benedictione DEI: suntque non unius generis; Quidam enim sunt visibiles & supra terram seu agrum, & consistunt in variis frumentorum generibus, quæ ratione Domini seu possessionis agricolæ quotannis tempore messis colligunt & congerunt. Quidam consistunt in venatione & aucupio, si jus naturale inspiciamus. Quia autem plurimis in provinciis privatis personis interdicitur, & jure Superioritatis Principibus solum conveniunt, ab his vero subditis quibusdam conceduntur; itaque eos Agricolas hic putamus, qui speciali ex concessione Principum & privilegio jus venandi vel aucupandi in suis agris habent. Quicquid itaque venantur & capiunt, illud jure naturali §. 12. *Inst. de rer. divis. L. 3. ff. de acquir. rer. dom.* acquirunt & ad fructus agrorum numerari potest. *Vinnius in Comment. ad Instit. lib. 2. tit. 1. §. 13. n. 3.* videtur statuere laxiorem libertatem in aucupio quam in venatione: Sed si accuratius hodiernum statum inspiciamus, est minima differentia aut fere nulla. Nam *Syntagma Jur. Civ. Scrub. Exer. 41. §. 2.* evolventes invenimus, quod agricolis & imprimis rusticis præter venationem etiam expressis verbis aucupium interdictum & ab iis nullæ nobiles aves capiendæ sint. Causa, tradente *Wesemb. paratit. de acq. rer. dom.* est ne ab agricultura avocentur: Bestiæ & volucres rapaces, lupi, urfi, vultures & similes excipiuntur; quia tanta in iis diritas & immanitas, ut publicè intersit eas ab omnibus necari aut capi.

§. 15. Quidam fructus sunt invisibiles & sub terra, quique ex dono DEI & beneficio fortunæ, ut thesaurus, proveniunt. *Thesaurus est vetus quædam depositio, cujus non*

extat memoria, ita ut jam Dominum non habeat, l. 31. §. i. ff. de
acquir. rer. dom. Agricola talem inveniens in proprio a-
gro retinet solus, & totus cedit inventori l. un. C. de the-
saur. Instit. §. 39. de rer. div. Operarius, Pensionarius the-
saurum forte fortunà arando vel aliàs terram colendo
invenientes non retinent totum, sed saltem dimidiam
partem, alteram partem vero debent Domino fundi. l.
un. C. de thesaur. datà vero operà totus domino fundi ce-
dit & quasi indigni partem suam amittunt poenamqve
fisco inferunt: & ita constitutum, ut coerceatur cupiditas
alienis inhiantium & ansa præscindatur effodiendi & ever-
tendi agros Peretz. in præl. in Lib. 10. tit. de thesaur. numer. 3.
Magica arte in quærendo utentes, penitus amittunt the-
saurum & Camera Imperiali applicatur d. l. un. Invisibi-
libus fructibus potest annumerari alluvio, quæ est incre-
mentum latens seu occultum, quo magis alieno fundo quic-
quam detrahatur & alii adjicitur, & tam latenter fit ut o-
culis per imbecillitatem visus humani deprehendi ne-
queat, quantum quovis momento adcreseat: & acqui-
runtur jure naturali l. 7. §. i. ff. de acquir. rer. dom. l. i. C. de
thesaur. vocaturqve em Zusfluss oder Zuwachs/simulqve
jus in eo competens nobis augetur Carpz. lib. 1. tit. 5. Resp.
45. NUM. 11.

CAPUT III.

de

Commodo Agricoliarum.

§. 1. Quam multum Reipublicæ omni tempore
interfuerit ubertatem conservari, facile colligitur ex L.
12. ff. de Accusat. & Inscript. L. 3. §. 2. ff. de Leg. Jul. de Annon.
In

In illis enim expresse conceditur mulieribus propter utilitatem publicam ad annonam pertinentem, cum tamen propter verecundiam & pudicitiam sexui congruentem aliis causis se immiscere non debeant *L. 2. ff. de R. J. L. 1. §. 1. ff. ad SC. Vellej. d. l. 3. §. 2. de leg. Jul. de annon.* Praefecto deferre. Annona autem consistit in speciebus veluti in frumento, pane, vino, hordeo; lardo *L. 9. C. de suscept. non propof. & arcar. oleo, carne, sale, melle Peretz. in Praelect. lib. 10. tit. de annon. & tribut. n. 1.* Causam annonarum inquirere primariam deprehendimus DEUM, utpote qui solus hominibus victus & fruges quotannis donat: Causae instrumentales & secundariae sunt Agricolarum laboribus semina sparguntur, frumenta colliguntur, & denique Republicae offeruntur: Hi sunt venae & nervi, quibus ut corpus physicum, ita per eodem Respublica conservatur. Corpus nervis & venis defectis, naturaliter perit & in nihilum redigitur: Respublica Agricolis destituta, cadit & consumitur: Haec constat ex multitudine personarum, quae ubertate annonarum, sine quibus subsistere non possunt, conservandae sunt *Peretz. in Praelect. in lib. 11. C. de Jur. Republ. n. 1.* Hoc est commodum, quod ex Agricolis fluit & omnes homines, non & feminas, senes & juvenes hac in vita laetificat. *§. 2. Utilis & amica populis est mercatura; sed utilior & longe melior est Agricultura. Mund. de Mater. Mun. & Oner. c. 6. n. 32.* Illa ad comparandas quaerendae, quae divitias maximum habet pondus; inde videmus, quod mercatores soli hac tempestate bonis, opibus, pecuniis atque divitiis omnis generis abunde sint referri *Inaq. de Nobilit. cap. 33. n. 18.* & maxime eo inclinant, ut in rebus saltem suis consulant: Agricola sunt utiliores; Nam non tam sibi quam Republicae inserviunt, omnes &

& quidem optimos fructus vili luero aliis vendunt: ipsi vero
& imprimis rustici retinent viliores, & vescuntur pane atro,
allio & capis cum caseo. *Barbof. Locupl. L. 1. c. 48.* Si itaque hi
magis utilitati publicæ, quæ privatæ est anteferenda *L. 51. §. 2.*
ff. ad L. Aquil. L. 43. ff. de Relig. & sumpt. fun. Authent. Res quæ
subjacent C. Commun. de Legat. L. 3. C. lib. 12. de Primpil. Nov. 39.
c. 1. Mund. c. 1. n. 265. de Mun. person. Anton. Fab. lib. 3. tit. 26. Com-
mun. divid. Defn. 1. Gail. Observ. Pract. L. 1. c. 21. n. 9. profint, non
est dubium, quin sint quoad commoda illis præferendi: Di-
vitiæ & opes quas Pharao Rex Ægyptiorum per Josephum ex
frumento vendito *Gen. 47.* collegit, quæ fuere unquam majores?
omnem pecuniam, aurum & argentum, omnia animalia
& omnes homines totius Regni una cum libertate ex fructibus
emit & servos suos fecit: Infideles Imperatores Turcici utilitate
magnâ ex agricultura capiunt; nam ex fructibus venditis vi-
vunt & inde collectis redditibus solum volunt ali: causa est, quia
hoc lucrû justissimû & in talibus redditibus nulla injusta ex-
actio, ut in aliis tributis, invenienda, sed omnia quæ inde perci-
piunt, accipiunt à divina benignitate, *Klok. lib. 1. c. 5. n. 17. de Erar.*
De Regno Polonia scribit *Joh. Boter.* quod ejus opes consistant
in copia frumenti frugumque omnis generis, quibus tanta co-
pia abundat, ut aliarum gentium necessitati succurrere valeat,
uti exempla Genuensium, Thuscæ & Romæ anno 1590. mon-
strant. Agricolarum propter utilitatem hinc inde talia privi-
legia quorum quædam in præcedente cap. vidimus, sunt con-
scripta, quæ mercatoribus hætenus sunt denegata *Plateain.*
leg. 1. C. de Agric. Cens. lib. 11. Et favor Agriculturæ non est mi-
nor quam militiæ nec illius jura in bello cessare debent *Brun-*
nem, in Comment. in Cod. lib. 11. de Agric. & mancip. Domin. ad L.
3. n. 2. Agriculatio est studium regale, & Agricultura mater &
nutrix artium? Est enim ad sustinendam & conservandam
Rem publicam utilissima, & si non Regia virtus tamen regie
virtutis procreatrix *Klok. lib. 2. c. 1. n. 11. de Erar.*

5. 3. Rebus non solum politicis sunt utiles ratione possessionis privati soli *L. 2. L. fin. C. de Cens. annonas loco tributorum, quæ onera fructuum L. 13. ff. de impens. in rem dot. fact. L. 7. §. 2. L. 27. §. 3. de usufr. sunt, solventes; sed etiam rebus ecclesiasticis decimas, quæ sunt res spirituales & reditus ecclesiarum, extra in c. peruenit cum duobus sequentibus de Decimis, pendentes. Pleraque consistunt in Großzehend als in Weizen/Kornen/Dinkel/Habern/Gersten/Erbsen/Linsen/Bönen und allen Früchten so der Halm trägt; Mienut oder klein Zehend/worunter wird gerechnet Obß/und was auff den Bäumen wächst/Kraut/Rüben/Flachs und dergleichen. Blut oder lebendig Zehend Carnatico in carniū exactione ut sunt Frisingæ, porcelli, pulli Besold. in Thesour. Pract. §. 1. tit. 1. §. 8.*

5. 4. Præter annonas præstant etiam necessitate urgente capitationem & jugationem *L. 1. C. lib. 11. ne rusticæ ad album obseq. Peretz in Prae. lib. 11. de Capit. tit. cens. eximend. n. 2.* Jugationem præstant propter agri spacium quod juncti boves uno die arare possunt, inde jugerum appellatum, & pro magnitudine, numero & qualitate possessionum & jugerum agri *Klock. c. 17. n. 99. de Contr. tributum solvunt.* Capitationem præstant seu capitis censum, seu tributum noch dem Haupt/pro capite masculi à quatuordecim annis aureum, foemina à duodecimo usque ad 65. annum, dimidium. *Klock. cap. 1. §. 294. de Contribut. Bannem. in Comment. ad Cod. lib. 1. tit. 2. de SS. Eccles. ad L. 8. n. 12.* Et omnes generaliter Mann und Weibes Personen Vater und Mutter/Kinder und Gesinde nulls exclusio *Mund. de Mun. Patrim. Ordin. c. 2. n. 104. 105. l. ult. §. 29. ff. de Mun. & Hom. divites pro ratione patrimonii & jumentorum; pauperes vero exiguum quid, puta ein Schilling præstant; pro pecudibus solvunt tributum pecuarium eine Klattsteuer & quidem de animali quolibet.*

15. Agricolaë & sentiunt sua commoda. Præter beatitudinem & singularem felicitatem, quam *Horatius lib. Epodon. Od. 2.* sic describit.

Beatus ille, qui procul negociis,

Ut prisca gens mortalium.

Paterna rura bobus exercent suis.

Solutus omni fœnore.

Nec excitatur classico miles truci,

Nec horret tratum mare.

Forumque vitat, & superba civium.

Potentiorum limina.

Sentiunt singularem temperantiam, vivunt paucis contenti, & puram sibi conscientiam. In quærendis fructibus abest omnis dolus; qui ipsis invident nocere non possunt; Non quærent ex alterius damno sibi lucrum, nec damno alterius quod est naturæ æquum *l. 14. ff. de Cond. indebit. l. 206. de R. J. se lo- cupletant; Omnia quæ percipiunt, proveniunt ex mera gratia divina & cujusq; diligentia, quæ propter etiam in jure quam acerrime defenduntur. Cicero in Catone Major: recommendat quam diligentissime agricolationem, ita inqviens. Eorum senectus, qui agricolatione oblectantur, non est miserabilis, sed nulla potest esse beator, de quibus plura in diet. Caton. legi possunt.*

§. 6. In quibusdam disciplinis habent singularem scientiam: Nam eos oportet exercere Arithmetica Geometria & Astrologiam: Non vero Astrologiam prohibitam, quasi ex astris & aliis signis futuros eventus consiliorum, aliaque quæ à providentia divina dependent, prædicere vellent *Brunneman. in Comment. ad C. lib. 1. tit. de Episc. audient. l. 10. n. 2. it. ad l. 2. tit. de Malefic. & Mathemat. l. 1.* quam merito Magistratus igne & ferro persequitur, deq; cujus vanitate nempe Astrologiæ judicariæ, plena manu tractat *Sixtus ab Hemminga in pecul. tract. Astrolog. consuet. aia: Sed cursum Lunæ & stellarum; illam*

at-


9
attendunt, quia humectandi vi prædita, humoribus domi-
natur & humiditatibus præest, easque vel auget, vel minuit,
virtutemque suam vel intendit, vel remittit pro diverso lu-
minis statu; has quia magna eis est vis in mundum hunc sub-
lunarem *Magir. in Physiol. l. 2. c. 4. & 6.* Ad harum cursum
pro qualitate seminum seminant, & labores suos peragunt.
Huic assotiant Geometriam, quam discere & exercere maxi-
me Reipubl. interest *l. 2. C. de Malef. & Mathemat.* Philo eam
ἀρχήν καὶ μητρόπολιν omnium disciplinarum appellat, de cujus
laude *Gothofr. ad hanc L. multa* dicit: Nam quia non omnia
fert quævis tellus, nec omnibus locis omnia conveniunt
arg. l. 1. ff. de Cens. ideoque accurate omnia, in hunc agrum
triticum, in illum filiginem in hunc hordeum in illum ave-
nam spargentes observare oportet. Arithmeticam exercent
dum certum numerum seminum agris attribuunt, & ne
ager vel excessu oneretur, vel defectu sterilis & vacuus
reddatur, summo cum commodo fructus septuplum & plus
inde percipiunt.


§. 7. Frugibus & frumentis itaque perceptis, quæ
natura hominum gratia produxit *l. 28. §. 1. ff. de usur.* veluti o-
lera, frumeta, legumina, poma, foenum & similia *l. 77. ff. de V. S.*
tanquam boni patres familias ad interesse Reipublicæ iis bene
utentes *§. sed & major Inst. de his qui sui vel al. jur.* homines &
pecudes ne egeant, & civitates bene beateque habitari possint
in forum afferunt, vendunt vel permutant; quapropter nun-
diæ quovis nono die, quo nomen acceperunt, olim in urbem
mercandi causa agricolis, quibus *l. 2. ff. de Nund.* civitates indigēt,
concessæ. *Peretz in Pralect. in lib. 4. tit. 60. de Nund.* Sæpe pa-
rant sibi magnas divitias & Reipublicæ, quæ locupletes
subditos *Nov. 3. §. 1. verf. Consideravimus Hieronym.* Vendra-
men in disquisit. sup. caus. Venet. cont. Paul. Bengi

IV. habere cupit inserviunt. *l. 2. ff. de Nund.*
l. 1. ff. de Nund. **Soli DEO Gloria.**

X2615929

6007





Farbkarte #13

B.I.G.

D. N. J. C.

TIO JURIDICA

De
NICOLIS,

quam
usu Magnifici ac Nobilissimi Jct.

is in Alma Leucorea.

PRÆSIDE

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO

ATQVE EXCELLENTISSIMO

NERO THEO.

MARTINI, J. U. D.

s Saxonici in Superior. Apellat.

disimo, Curia Provincialis Consistorii

& Facultatis Juridicae, nec non Judicii

Lusatiae Assessore Gravissimo ac

DECANO spectabili,

tore atqve Promotore

rum devenerando,

orum Ventilationi proponet.

quar. An. MDC LXXXIII.

O JURISCONSULTORUM

GEORGI, Lucca Lusat.

Not. Publ. Caf.

R & RESPONDENS.

GÆ, Typis CHRISTIANI FINGELII.